

quia obiectum formale ex dictis in logica, cum de eius obiecto, est illud quod attingitur ab illa scientia, cuius est obiectum formale sub illa formalitate, per quam illam scientiam specificat ab alijs, & ita tractatur ab illa scientia, cuius est obiectum, vt nullo modo sub tali formalitate tractetur ab alijs; sed elementa prout habent inter se amicitiam vel inimicitiam, odium, at amorem, ordinata sunt ad faciendum unum per se, vel iam factum dissoluendum, solum a scientia physica considerantur; ergo elementa sub talibus formalitatibus considerata, erunt obiectum formale, & adaequatum physicæ.

28 Hinc ex dictis colligerem possum, quod sigillatim, & diuisim accepta elementa, sunt obiecta partialia. si duo vero accipiuntur, iudico, quod obiectum totale per non exclusionem, alterius dici possent, cum impossibile non sit quod de illis unitis verificantur omnia praedicata physica, quando talis mistio duorum elementorum non implicet, vt ostendim, cum de generatione, & corruptione loquar Deo fauente.

29 Obijcies primo contra positam conclusionem; id quod per se tractatur ab aliqua scientia, est obiectum dictæ scientiae; sed elementa prout habent inter se amicitiam, vel inimicitiam &c. non tractantur per se à physicali scientia; ergo elementa huiusmodi accepta non sunt obiectum adaequatum physicæ, non dubitant aduersarij de maiori propositione, solum minorem probant sic, corpora simplicia, siue elementa tractantur à physico propter mistum, ergo non per se.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem; ad cuius probationem relinquo antecedens, negando consequentiam. patet totum ex dictis in dialectica, cum de eius obiecto; aliud enim est tractari per aliud, & aliud est tractari non per se; tractari enim propter aliud solum dicit hoc non esse obiectum attributionis; tractari non per se, est per accidentes tractari, videlicet non tamquam in proprio loco, sicut fit in logica à logicis de ente rationis, praedicamentis, praedicabilibus, & in libris de anima de corporis organizatione, & de anima in physica, & theologia, hic autem de elementis per se tractat physica quamvis in ordine ad mistum; vnde non erunt ad summum obiectum attributionis, bene tamen obiectum adaequatum, ex materiali, & formali, sumpto tamen vt in conclusione dixi supra.

30 Obijcies 2. elementa considerantur à medicina; ergo non possunt esse physicæ obiectum, respondeo, distinguo antecedens; sub